

nostræ Ampelidis in tenebris Ignium modo minimè collucent, quod de Hercyniæ sylvæ Ave Plinium & Solinum referre diximus. Quod si verò maculas illas alarum & caudæ extremitatum luteas egregium splendorem edere quispiam curiosus objiceret, is tamen noctu lucere minimè dixerit, ut proprio periculo domi meæ sæpius expertus, ubi tribus ferè mensibus vivam alui, & vel quâvis nocte contemplatus sum.

§. 25. Imò si paulò accuratiùs hic inquirimus, apparet Aves hæc Hercynii Saltus inter commenta Pliniana, quæ fideliter exscripsit Solinus, referendas esse. Suboluit hoc Conrado Gesnero, qui in *Appendice de Avibus fol. 796.* sic scribit: Civis quidam noster aliquando mihi narravit Tiguri sibi visas Aves à rustico allatas omnibus ignotas, multis & variis coloribus insignes, in quibus cornei quidam processus flammeo colore rubentes, digiti ferè transversè longitudine, crassitie pennæ anseris, quâ scribimus, eminuerint nescio quâ parte alarum. Hæ forte Aves illæ fuerunt, quæ in Hercynia Sylva noctu Ignium modo collucent, si verè Veteres quidam prodiderunt. Nam nostro tempore nihil tale audimus, ne ab iis quidem, qui circa eam Sylvam habitant. Latius hæc diduxit Plur. Reverendus ac Excell. Dn. L. Joachim. Fellerus P. P. in *singulari Schediasmate de Avibus noctu lucentibus edito hic Lipsiæ Anno 1669.*

§. 26. Pergimus ad Insecta Lucentia, quæ generali Cicindelarum aut Lampyridum nomine veniunt, & lucem partim ex solo uropygio, partim etiam ex aliis partibus emittunt. Sexum in illis distingvit Carolus Vintimillia Panormitanus per hoc, quod mares sint alati, repentes verò fœminæ; in quam sententiam inclinare videtur & subtilis Scaliger, dum *Exercit. 194. sect. 1.* Marem alatum in Vasconia esse, sed non lucere scribit. Observavit autem Vintimillia hanc sexus distinctionem in Sicilia tali modo: Adjecit Cicindelam alatam crucis apteris, quas animi causa in vitro pane madido alebat, spectavitque hanc adjectam continuò aliam subegisse ei; adhæsisse, ut bombyx solet; ab eâ deinde avulsam aliam atque aliam compressisse. Sequenti die parere cœperunt, seminaque; forma & colore milii seminis, minora tamen bombycum seminibus dederunt & post paucos dies unà omnes interierunt. Bartholinus tamen, qui hoc experimentum ex Epistolâ quâdam Vintimillia ad Fabium Columnam recitat *d. l. 2. cap. 12. p. 280.* subdubitat *pag. 282.* an ex eo certi quid hauriri possit.

§. 27.